Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26828
Copyright: Admont, Benediktinerstift

351

⁊ inimicicie. ebrietates. comessationes.

Si enim per te implere(s) totum non esset necessarius adiutor: Rursus si tu ipse tua uoluntate nichil ageres: non uocaretur adiutor. Adiutor enim aliquid agentem adiuuat. Denique cum dixisset caro concupiscit aduersus spiritum et spiritus aduersus carnem. ut non ea que uultis faciatis. et posuisset te ante te. uelut deficientem te inter certamina. mox misit adiutorem. Quod si spiritu ducimini non adhuc estis sub lege. Qui enim sub lege est non implet legem. sed premitur a lege. sic ipse quondam sub armis erat. Sed si spiritu duceris. uide quis te adiuuat ut impleas quod uelis. Adiutor tuus. susceptor tuus. spes tua. qui docet manus tuas in prelium. et digitos tuos ad bellum. Manifesta enim sunt inquit opera carnis. que sunt fornicationes immundicie. ydolorum seruitus. luxuria. ueneficia. contentiones. ⁊ et his similia que predico uobis sicut predixi. quoniam qui talia agunt regnum dei non possidebunt. Non qui aduersus talia confligit. sed qui talia agit. Cum enim confligis aliud opus est. cum uincis aliud opus est. cum pacem et requiem habes aliud opus est. Hec duobus exemplis demonstro paucis additis. Suggeritur aliquod lucrum. delectat. Habet fraudem. sed magnum est lucrum. delectat. non consentis. Pugnam uide. adhuc suadet. adhuc instat. adhuc delibatur. sed qui pugnat prelietur. Uidimus pugnam. certa uideamus. Contempsit iusticiam. ut fraudem faceret. uictus est. contempsit lucrum ut iusticie seruiret. uicit. In his tribus. uictum doleo. pugnantem timeo. uictori gaudeo. Sed et qui uicit nunquam omnino egit ut prius eum pecunia non attemptet. aut nichil in eo excitet delectationis. quamuis superabilis. quamuis contemptibilis. quamuis non solum cui non consentiat. sed cui nec pugnare dignetur. est. In eo tamen aliquid delectationis titillatio. Hec titillatio et ille hostis iam nec pugnat nec regnat in eo tamen. et quasi moratur in carne mortali. quod non erit. Uincit enim totum in uictoria. sed postea. Modo autem corpus quidem mortuum est propter peccatum. et ideo eadem corporis in me peccatum. spiritus autem uita est propter iusticiam. Si autem qui suscitauit Christum a mortuis habitat in uobis. qui suscitauit Christum a mortuis uiuificabit et mortalia corpora uestra propter inhabitantem spiritum eius in uobis. Ibi iam nec quod pugnet erit. nec quod titillet. totum cadit in pace.

nreg / et peccatū

Non enim contraria natura contra aliam naturam pugnat. sed tamquam in domo maritus et uxor. si aduersus se dissentiant. molestus et periculosus labor. Si maritus uincatur et uxor dominetur pax peruersa. si autem uxor marito dominanti subiciatur pax recta. Non tamen aliud ex alia natura. que ex homine facta mulier uiro. Caro tua. coniux tua. famula tua. quod libet deputa. opus est ut subicias. et si pugnas ut sit pugna. Hoc enim expedit. inferius subici superiori. ut et ille qui sibi subici uult quod est inferius. subiciatur superiori se. Agnosce ordinem. quere pacem. Tu deo. tibi caro. Quid pulchrius? quid iustius? Tu maiori. minor tibi. Serui ei qui fecit te. ut tibi seruiat quod factum est propter te. Non enim hunc ordinem nouimus. neque hunc ordinem commendamus. tibi caro et tu deo. sed tu deo et tibi caro. Si autem contempnis tu deo. nunquam efficies ut tibi caro. Qui non obtemperas deo. torqueris a seruo. Nunquid si non pius tu deo. ut deinde tibi caro. potius dicere hec uerba. benedictus dominus deus meus qui docet manus meas in prelium. et digitos meos ad bellum. Preliari uis indoctus. dampnaberis uictus. Primo gratie subdas deo. deinde illo docente et adiuuante prelieris ut dicas. qui docet manus meas ad prelium. digitos meos ad bellum. et cum preliaris. et dum preliaris preliantis dic quod securus in preliandi periculo constitutus. Misericordia mea. Non uincat. misericordia mea. Quid est hoc? Misericordia prebes misericordiam mihi. et in me fis misericors. An donasti mihi ut ipse sim misericors? De nulla enim re sic uincetur inimicus. quam cum misericordes sumus. Omnino parat calumpnias ad iudicium. et non potest falsa obicere. que non habet apud quem. Si enim apud hominem iudicem nobiscum ageret. posset eum fallere mentiendo et nos grauare criminationibus falsis. Iam autem apud talem iudicem causa nostra cum illo est. quem falli non potest. ideo ambit ut ad peccatum seducat. ut habeat uera que obiciat. Et cum forte aliquibus eius fraudibus succumbit humana fragilitas. sequitur in confessione opus humilitatis. exerceantur in operibus misericordia pietatis. Omnia delentur. cum ex uero corde et plena fiducia dicimus illi iudex dimitte nobis sicut et nos dimittimus. Hic toto corde. dic tota fiducia. dic securus. dimitte